

Fuitque hic annus (ut quibusdam placere video) undecimus, ab eo quo cœptum erat cum Genuensibus bellari. 1270  
 Quidam Venetarum rerum scriptores, aliquot huic numero annos addere videntur, traduntque, Rainerium Zenum annos decem & septem Reipublicæ præfuisse, quum alii sexdecim dicant; constatque primo illius Principatus anno (qui sexagesimus supra duodecies centenum salutis fuit) apud Ptolemaidem pugnatum, bellumque in Laurentii Tepuli tempora protractum. Sed librariorum incuria puto factum, ut in Venetis annalibus tempora non constant: tribuantque plures annos Zenico principatui, quam forte habuerit: aut certe bellum ipsum non a prima illius administratione est inchoatum. Tanta est illorum perplexitas, ut ubi verum lateat, nullo modo intelligi possit. Secutus itaque Forlivianum Blundum, diligentissimum temporum computatorem, in undecimum annum primum Ligusticum bellum perductum crediderim.

Pactis cum Genuensibus induciis, ne quandoque ab armis vacatio daretur, novum ex Cisalpina Gallia ortum est bellum. Bononienses, qui per id tempus maximam Flamminiæ partem obtinebant, iniquo ferre animo, lege de portoriis lata, suis negotiatoribus mare nuper interclusum. Quod ut primo quoque tempore apertum redderent, quam occultissime possunt novum parant bellum. Inde domo moturi, Venetas legatos præmittunt, qui, dissimulato omni armorum apparatu, cum Venetis agerent, ut abrogata lege, præsidiisque undique amotis, suis negotiatoribus liberam & immunem navigationem redderent. Quod si facere recusassent (nam apparebat omnino recusaturos) omni altercatione omissa, bellum denunciarent. Sensit Bononiensem fraudem Tepulus: atque & ipse in suas artes (quæ non minus vaframenti haberent) conversus, novem triremibus celeriter missis, hostium adventum prævenire studet. Satis quidem constabat, eum qui aliena consilia sua celeritate prævertifset, occupata belli sede, omnia hostibus iniuria facturum. Celeri itaque cursu Veneti ad Padi ostium, quod *Primarium* vocant, Ravennæ proximum, venere: ubi

*Novum bellum cum Bononiensibus ob vetigal.*

1271

sub